

**05
A
2421**

J. N. D. N. J. C.
DISSERTATIO METAPHYSICA
De
DISTINCTIONE,
Cujus
PARTEM POSTERIOREM,
Divinâ Annente Gratiâ,
PRÆSES
M. JOHANN: HENRICUS ~~Meel~~/
ARGENTORATENSIS,
ET RESPONDENS
JOHANNES CHRISTOPH: WAGNER,
Pulsnitio- Lufatus.
Placidae disquisitioni submittent
Ad d. 4. Febr. ANNO 1680. h. Iq; c.
WITTEMBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.





05 A 2421



I. N. J.

SECTIO POSTERIOR.

Exponens Distinctionis varietatem,
atque Divisiones.

§. 1.



Vod superius in genere diximus de confusa ac perplexa ratione tradendi doctrinam de distinctione apud Authores plerosque, id vel maximè hoc loco experimur; adeò, ut in nulla re magis, quam in tradendis diversis distinctionum modis Authores dissentiant, & vix duo, qui per omnia eadem sentiunt, reperiri possint. Veniam igitur merebimur, si & nos in quibusdam ab unius alteriusve placitis paulisper, ubi opus putaverimus, abscedamus, retentâ tamen, quantum fieri potest, communiori sententiâ.

§. 2. Dividitur autem *Distinctio* s. *Diversitas* vulgo in eam quæ est *sine pugna*, quæ aliâs etiam nomine *distinctionis* specialius accepto venit, more Philosophis non inusitato, ut terminos generales ad significanda specialia adhibeant, & in eam quæ est *cum pugna*, quam *Oppositio* vocatur: quam divisionem, quia communis est, & usum insignem habet, hâc vice retinemus; licet forsitan nonnulla in eâ desiderari possint. Est autem *distinctio* specialius ita dicta, quâ usus non est alia, citra tamen aliquam cum eâ pugnam. Sic distinguntur homo & lapis, temperantia & justitia.

§. 3. Subdividitur hæc vulgo in *realem* & *rationis*; sed cum hanc divisionem nominalem tantum esse supra Sect. priori demonstraverimus, pergitus nunc in subdivisionibus distinctionis

A 2

realis

Dise. sup. Tab.
21.

D.7. Met. S. I.
n. 18.

L.5 Met. c. 6.
q. 6. S. 2.

realis & propriè sic dictæ. Quæ i. est vel *in rigore* vel *Analogicè* talis. Illa est quæ intercedit inter rem & rem, seu inter res diversas. Est autem res, definiens *Stablio*, id quod est ejusmodi Entitas, quæ, ut sit in rerum naturâ, non requirit ut actu rem singularem afficiat, sed potest per potentiam DEI absolutam saltem existere: sc. separatim à re aliâ. *Svario* res dicitur tale quid, quod ex se & in se ita est aliquid, ut non postulet intrinsecè & essentialiter esse semper affixum alteri, sed vel non sit unibilis alteri, vel saltem uniri non possit, nisi medio aliquo modo, à se realiter distincto. *Analogicè* talis est inter rem & modum ejus, specialiter sic dictum, vel inter tales modos ejusdem rei, (nam diversatum rerum modi realiter distinguuntur) vel inter modos ab essentiâ quidem realiter indistinctos, inter se tamen oppositos. Vocatur hæc ab aliis à ratione vel alterius vel utriusque extremorum *modalis*. *Analogica* autem dicitur ab analogia attributionis intrinsecæ, quia distinctio rebus per prius, modis vero, cum aliquid potius Entis quam Entia sint, ac intimè includant conjunctionem cum re cuius sunt modi, ita ut nec per divinam potentiam sine ea esse possint, per posterius. Duo autem circa hanc expedienda; 1. quidem ejus *Quidditas*, & 2. *Locus* quo referri debeat in enumeratione diversorum distinctionis modorum.

§. 4. Ad cognoscendam autem *modalis distinctionis* quiditatem, præcognoscendum est, quid & quotuplex sit modus, & juxta quam significationem distinctionem modalem denominetur. Non attendi autem hic significationem modi *Grammaticam* aut *Logicam*, clarum esse puto. *Fonseca* tria affert modorum genera; quorum aliquos dicit esse formaliter entia, & distinguvi ex naturâ rei, ac saepe etiam realiter ab iis rebus, quorum sunt modi essendi; veluti album, dulce &c. Alios, et si sint formaliter entia, non tamen distinguvi ex naturâ rei ab iis rebus, quorum sunt modi, sed nostrô duntaxat imperfectâ intelligendi modô: cujusmodi sunt per quos Ens dividitur in Substantiam, Quantitatem &c: Alios denique, et si ex naturâ rei, semotâve omni intellectus operatione distinguuntur ab iis rebus, quorum sunt modi essendi, non tamen esse Entia formaliter, nisi latissimè sumator Ens, pro omni eo, quod non est nihil; & talem esse v. c. actualē accidentium inha-

D. Met. 7. S. II
n. 19.

inhærentiam in Subiecto. Sed cum in explicanda distinctione ex naturâ rei (ut inferius patebit) ipse sibi non constet, obscurum est, quid per illud intelligat, quando modorum genera ex eo describit, quod quidam ex natura rei, quidam non ex naturâ rei à re distingvantur; ignotum scil. per æqvè ignotum. Hoc autem vult dicere, interprete Svario, quod quidam modi sint ex se distinctæ Entitätes, ut albedo & dulcedo; alii nec sint distinctæ Entitätes, nec etiam ullo modo distingvantur re ab his quorum sunt modi, sed tantum ratione: alii tandem re quidem à re modificatâ differant, ex se tamen distinctam Entitatem non obtineant; qui specialiter modi dicuntur. Ipse ergo quatuor ponit vocis modi acceptiones. Primam quidem, quâ omnis qualitas solet dici modus substantiæ. Secundam, quâ omne contrahens modus appellari solet, sicut rationale modus est animalis: ex qua acceptione illa specialior adhuc significatio desumitur, quâ modus differentiæ contradistinguitur, quomodo Ens ad summa genera per modos, & non per differentias contrahi dicitur. Tertiam, quâ modus idem est, ac limitatio unicuique reiinitæ secundum mensuram ejus præfixa. Et quartam denique quâ modus est aliquid rem afficiens & quasi ultimò determinans statum & rationem existendi ejusdem, cui tamen non addit propriam entitatem novam, sed tantum modificat præexistentem: talis est dependentia Luminis à sole, unio materiæ cum formâ &c:

§. 5. His acceptationibus lubet ex Keslero addere quintam, Met. Phot. S. 2.
quâ modus latissimè sumitur pro omni denominante, quâ ratione etiam Unum Entis modus dici potest: & sextam, quâ, observatâ analogiâ, & factâ imperfectionis remotione, sano sensu Personæ in Trinitate dicuntur modi quidam Essentiæ divinæ: consitit autem hæc analogia breviter in eo, quod sicut modus est aliquid in rebus non distinctam ponens Essentiam, sed est aliquid Essentiæ, ita quoque in divinis persona non ponat distinctam ab essentiâ divina Entitatem: imperfæctio vero modi creati hic removenda est cum ea, quâ modus cum essentiâ collatus infert posterioritatem, tum hæc, quâ modus creatus principium habet & est ab alio dependenter. Ex his autem acceptationibus modo recensitis quarta tantum & ultima ita comparata est, ut modalem distinctio-

nem , qvæ absqve mentis operatione detur , denominare pos-
sit.

S. 6. Et qvod quartam qvidem acceptionem modi atti-
net, id exinde manifestum erit, qvando demonstraverimus , dari
tales modos, qvi ab Essentia qvidem realiter differant, ab eâdem
tamen separatim existere nequeant. Probatur autem hoc i. tum à
posteriori, v. c. in luminis à sole dependentia. Hæc dependentia
est aliquid distinctum à lumine & sole, cum per potentiam divi-
nam & Sol absqve lumine & lumen absq; sole, adeoqve m. absq;
dependentia hâc à sole esse possit : nec tamen possumus concipe-
re eam esse rem vel Entitatem diversam à lumine , cum aliâs fal-
tem per divinam potentiam posset à lumine separata existere :
nec tamen plane est nihil. E. dantur tales modi positivi , qvi,
cum à parte rei non sint ipsa essentia, non tamen ab eâ differunt
ut res diversæ, nec separatione mutuâ separari possunt. Ratio
autem à priori, cur modus non possit à re modificatâ separatim
existere, hæc est, qvod formaliter tantum sint Entium determina-
tiones ; impossibile autem est esse determinationem absqve re
determinatâ. Unde 2. à priori eandem modorum existentiam pro-
bamus ; qvia multa Entia per se sunt indifferentia & indetermi-
nata ad præstandos aliquos actus tâm efficientes, qvâm formales;
sicut anima rationalis qva talis indifferentia tollitur per ali-
quod realiter ab illis distinctum, qvod illa ad statum aliquem spe-
cialem determinat, sic anima rationalis determinatur ad specia-
lem statum per unionem cum materia, nec amplius indifferentia est
ad actum suum formalem, sicut antea : hoc autem determinans
non potest esse planè nihil, imperfectè tamen est eo ipso , qvia
tantum determinatio est, unde non nisi in Essentiâ determinatâ
existere, imò absqve ea ne qvidem concipi potest, sicut funiculus
absqve nodo, forma absqve unione; neqvaquam vero nodus abs-
qve funiculo, unio absqve formâ, sive esse, sive concipi potest : ta-
lém vero imperfectam Entitatem nunc vocamus modum. Clas-
srum ergo est, dari aliquam distinctionem inter hos modos specia-
liter ita dictos & rem modificatam, vel etiam inter ipsos modos
inter se invicem (si scilicet ejusdem essentiæ modi sint ; nam di-
versarum

versarum rerum modos realiter distingvi jam supra afferuimus. V
ante mentis operationem, quæ adeo rationis distinctioni annu-
merari nequeat; candem tamen diversam esse ab eâ quæ res à re-
differt defectus separabilitatis mutuæ indicat, quæ inter modaliter
distincta nullâ potentia dari potest. Sed separabilitas, quæ
inter talia intercedit, est non mutua, quæ proinde etiam respectu
nostrî signum est distinctionis modalis; licet forsitan quædam den-
tur, modaliter distincta, in quibus hoc signum concipere non pos-
simus. Qui de modorum naturâ plura desiderat, adcat *Svarez*
& præcipue *Mendoza*.

§.7. Quod verò modos illos singulares, quos sexto loco re-
tulimus, concernit, & illis talis distinctio concedenda, quæ qui-
dem non sit inter rem & rem, sive inter essentias diversas, nequa-
quam tamen sola mentis operatione singatur. Distinguuntur enim modi illi non quidem ab Essentia divinâ, sed tamen inter
se, cujus indicium est oppositio eorundem: Est ergo distinc-
tio modalis ex hactenus dictis, Alietas vel rei à suo modo specia-
liter sic dicto; vel unius horum modorum ab altero, qui eandem
cum illo rem modificat; vel denique duorum pluriumve modo-
rum ab Essentia indistinctorum; inter se tamen oppositorum. Un-
de subdividi forsitan possit in vulgarem & mysticam, ita ut ad illam
duo priores hujus distinctionis modi modo recensiti; ad
hanc autem tertius tantum referatur.

§.8. Hæc brevis est delineatio distinctionis modalis, quam
variis variè collocant: dunralii eam sub distinctione ex natura rei,
quam inter realem & intentionalem medium statuunt, ponunt;
ut cum Scotistis (quamvis Scotum ipsum ab hujus opinionis in-
vidia liberare natura Mendoza D.M. 6.S.3. §.26.) Fonseca: alii reali
& rationis contradistingunt; & alii denique nobiscum sub rea-
lem referunt.

§.9. Ad primam autem sententiam examinandam necessa-
rio prælibandum est, quid Scotistis dicatur distinctio ex natura rei; Disp. M. 6.S.3.
Si modo ex confusissimis illorum discursibus id cognoscere lice- §.16.
bit. Sane nullam ejus apud veteres Scotistas reperiri veram de D.Log.5. S.1.
definitionem testis est Mendoza & Arriaga. Fonseca & Job.de Rada L.5. Met. c.6.
quidem eam describunt, quod sit talis distinctio, quæ est in rebus q.6. S. 2.
seclu. P.1. Contr. 4.

seclusō opere intellectus; ita ut vi hujus descriptionis coincidere videatur cum reali, sicut etiam Joh. de Rada l. cit. eam intentionali contradistinguit. Sed divisiones & exempla quae afferunt, sicut descriptioni huic minime congruunt, ita quid tandem persuam distinctionem ex naturā rei hi Authores velint, incertum reddunt. Fonseca quidem eam distinguit *informalem*, *Modalem* & *Potentialem*: *Formalem* verò subdividit in *formalem Essentialem* & *puram*: Per *formalem Essentialem* dicit distingui, quae diversas habent *Essentias*: exempli loco subjungit Platonem & Socratem; qui tamen realiter: Animal & hominem, sensitivum & rationale; quae sola mentis operatione distinguntur. *Formalem puram* vocat, quae distinguntur suis rationibus formalibus objectivis duo quælibet Entia non diversæ *Essentiæ*, aut ita affixa inter se, ut nullam *Essentiam* Entitatemque includat unum, quod alterum non includit, & hoc distinctionis genus tribuit Personis divinis inter se. In *Modali* describenda nobiscum ferè consentit, nisi quod exemplis incongruis eam declareret, quando inter alia etiam existentiam & essentiam in creatis hac ratione distingvi assertit. *Potentialem* denique dicit, quae partes integrantes ejusdem totius homogenei, dum in eo sunt, distinguntur & inter se, & à toto. Ubi tamen fatetur, omnia quae realiter distinguntur, distingvi etiam ex natura rei, licet non vice versa; & nihilominus distinctionem ex natura rei distinctioni reali contradistinguit absurdè satis, ut alia ejus ἀτοπα taceamus. Joh. de Rada verò postquam hanc distinctionem distinctioni rationis contradistinxisset, subdividit eam in distinctionem *ex natura rei realem*, quae sit inter duas res v. c. Petrum & Paulum, & *ex natura rei formalem*, quae sit inter ea, quae idem sunt realiter, habent tamen distinctos conceptus formales objectivos, v. c. hominē & visibilitatē, animal & rationale in homine. Qui adeo sibi ferè in terminis terminantibus contradicit, quando hanc distinctionem dicit esse tantum eorum, quae secluso opere intellectus differunt; & tamen etiam in illis reperi, quae realiter idem sunt, & non nisi modo concipiendi differunt. Idem quoque de reliquis hujus distinctionis ex natura rei propugnatoribus esto judicium. Id ergo

ergo exinde patet, quod, quid illi tandem per distinctionem
ex naturâ rei velint, certò cognosci non possit: ut adeò
non malè de ea Mendoza judicaverit, quando, Ecce, inquit,, D. Met. 6. S. 3.
hanc distinctionē vel solā confusione labantem: ejus enim,, §. 16. sqq.
autores nihil faciunt, nisi terminos repeteat, eā esse distin-,,
ctionem formalem, & ex naturâ rei, mediō quodam modō,,
distinctam à reali & rationis: cumque non explicent illum,,
medium modum, non possunt ab auditoribus percipi: nec,,
mirum, quia tale medium est impossibile. Hoc tamen ex-,,
inde concludo, hanc distinctionem ex naturâ rei, si ex de-,,
scriptione judicanda est, realem esse, & ab eā nil differre:,,
sive ex divisionibus & exemplis; pro horum diversitate,
partim ad realem, partim ad intentionalem referendam es-
se. Fusius autem hæc deducta vid. à Mendoza. Si ergo
distinctionio ex naturâ rei non est peculiare distinctionis ge-,,
nus præter realem & intentionalem, nulla supereft ratio, cur
modalis ad eam potius quam ad realem referenda sit. Imo D. M. 7. S. 1.
Svarez illam ipsam pro modali habet. n. 16.

S. 12. Nec etiam, quæ secunda sententia est quorun-
dam, modalem putamus reali & intentionalis superadden-
dam esse, tum quia hæc per terminos contradictorios sibi
opponuntur, tum quia illa sub reali commode continetur.
Accedit, quod si in reliquis quoque membris eadē dividen-
di ratio à ratione extremorum desumptâ retineri debeat,
præter modalem, quæ est inter diversos modos, statuenda
foret realis, quæ est inter rem & rem: & rationis, inter Entia
rationis, & mixta, quando Ens reale ab Ente rationis distin-
gitur &c. adeoque absq; necessitate multiplicarentur hu-
ius divisionis membra: vid. Scheibl. Reliquum ergo est, ut Op. Met. L. 1.
statuamus modalem sub Reali contineri, eamque subdivi- c. 8. n. 59.
dere.

S. 13. Hæc 2. dividitur in Essentialiē, & realem tan-
tum. Essentialis est inter ea quæ essentiis differunt, scilicet quo-
rum

rum unum habet Essentiam ab altero diversam : sic diffe-
runt Petrus & Paulus, lapis & homo. Realis tantum verò
est inter ea, quæ qvidem absqve mentis operatione distin-
gvuntur, ita tamen, ut neutrum distinctam ab altero Essen-
tiā inferat : seu quā duo vel plura ante mentis operatio-
nem inter se distincta, à parte rei tamen unam eandemq;
habent Essentiam singularem, sive potius à parte rei sunt
illa ipsa Essentia singularis. Est autem divisio hæc ab omni-
bus iis recepta, qvi Personarum Trinitatem in unitate Essen-
tiæ divinæ astruunt : nimis vero invisa illis hæreticis, qvi à
dogmati qualitate Antitrinitarii dicuntur. Goslavius eoru-
sintesignang nullā agnoscit realē distinctionē, quæ non simul
sit Essentialis, quando citante Keslero *ita ratiocinatur P. I.
“refut. Kek, p. 4. Quæ realiter distinguuntur, ejusdem es-
“sentiaz singularis esse nequeunt : Opponuntur contradicto-
“riæ realiter distinguvi, & eadē esse essentiā numero. Sed
frustra contradictionem fingit Goslavius, ubi amicus con-
sensus. Non enim essentiæ Identitas & Personarum plura-
litas opponuntur secundum idem ; nec tollit numerica u-
nitas hypostaticam distinctionem, sed entitativam ; & hy-
postaseon distinctione absqve pugnā in unā eademq; essen-
tiā communicabili dari potest ; talem verò essentiam, com-
munem de facto tribus ~~Trinitatis~~, in divinis dari, de fide
certum est. Stat ergo divisio nostra immoto superstructa
fundamento. Imò licet distinctio realis plurium unam
essentiam singularem habentium primò & propriissimè, ac
plane singulari ratione in SS. || Trinitatis mysterio reperi-
tur, nonnulli tamen non ignobiles Philosophi statuunt, et-
iam in creatis & finitis dari quædam, quæ differant realiter,
& tamen sint ejusdem & singularis Essentiæ : sic ajunt mo-
dum specialiter dictum, (quem supra ostendimus esse potius
aliqvid Entis quam Ens, essentiamq; modificatam intimè
includere, ita ut sine ea neqvidem divinitus existere possit)
& essentiam cujus est modus, esse unam eandemq;
numericanam essentiam : quod idem de duobus ejusdem es-
sentiaz

* Met. Phot.

S.3.p. 125.

sentiæ modis, afferunt. Qui verò plura desiderat, audeat præter modo cit. Mendozam. Magnif. Dn. D. Calov. Met. D. v. P. G. c. 13. Por. 2. & Keslerum. Met. Phot. S. 2. ad Pr. 1. & 3.

§. 12. 3. Dividitur distinctio in adæquatam & inadæquatam. Adæquata ab aliis vocatur contradistinctorum, & est inter ea, qvorum unum non includit alterum; vel qvæ se totis distingvuntur: ut Petrus & Johannes. Inadæquata, aliis dicta includentis & inclusi, est inter ea, qvorum unum alterum includit realiter, sic homo includit corpus, corpus caput, & hoc cranium.

§. 13. 4. Distinctio alia est cum respectu, alia absq; respe-
ctu ad tertium. Et illa qvidē vel Essentialis est, qvando respectus
dicitur ad tertium Essentiale, qvæ subdividitur in genericam,
qvæ est eorum, qvæ non habent idem genus: Specificam, qvæ
inter ea datur, qvæ non habent eandem speciem: & numeri-
cam, inter ea qvæ cum idem genus eandemque speciem ha-
beant, differentiis individualibus distingvuntur: qvarum
numerica minima est, Generica vero maxima. Vel Accidentalis,
qvando tertium qvod respiciunt est extra rei essentiam; sic
qvædam quantitate differunt, & inæqualia; qvædam qualia-
tate, & dissimilia vocantur.

§. 14. 5. Distinctio vel est cum ordine, vel absq; ordine.
Distinctio ordinata pro diversitate ordinis, qui vel temporis
est, vel originis, vel dispositionis, vel locationis, ejusq; tum natu-
ralis, tum arbitrariæ, itidem diversimodè consideranda ve-
nit. Sed cuncta hæc fusus perseqvi nobis hæc vice non
licet.

§. 15. Egimus hactenus de distinctione specialius ita-
dicta, sive qvæ talis est absq; pugnâ, nunc sequitur, ut pau-
cis oppositionem quoq; explicemus. Sumitur autem
vox Oppositionis vel generaliter, prout Disparationem inclu-
dit, vel specialiter, prout Disparationi contradistinguitur:

illa acceptio hujus loci est, qva scil. *Oppositio* est diversitas cum aliqua repugnantia, sive deinde repugnantia illa generalis sit, sive specialis, sive ad unum, sive ad plura. Ab aliis definitur haec repugnantia per incompatibilitatem, qvæ incompatibilitas id esse dicitur; qvæ unum non potest esse aliud. vid. P. Voët. Prim. Philos. ref. c. 10. S. 15. De hâc in genere qværitur; *Utrum antementis operationem in verum naturâ detur, an vero sit mentis opus?* Hoc posterius afferit P. Voetius, sed male; cum incompatibilitas illa, qvâ unum non potest esse alterum, perqvam ipse oppositionem explicat & definit, citra mentis operationem in rebus sit: in oppositis vero cum speciali pugnâ, ipsa experientia poterit docere, calorem & frigus absqve fictione mentis sibi invicem repugnare. Dividitur vulgo in eam, qvæ est cum pugna generali, qvæ *Disparatio* dicitur, & eam qvæ infert pugnam specialem, qvæ *Oppositio* dicitur, nomine *specialius* accepto. Dicitur autem *Disparatio* juxta qvoscam à verbo *disparare*, qvod est à *Dispar*: ut adeo *disparata* dicantur quasi in essendi ratione *disparia*. Juxta alios *disparata* dicuntur quasi *disseparata*, ita ut nomen hoc ad denotandæ eal qvæ loco separata sunt primò impositum, postea de iis quoqve usurpatum sit, qvæ essentiis, separantur, licet ratione loci maxime unita sint: sed Grammaticis haec discutienda relinqimus. Est autem *Disparatio*, qvæ unum pluribus opponitur eodem repugnandi modo. Sic homo, leo, lapis, sunt *disparata*. Qværitur autem: *Utrum disparata bene ad opposita referantur?*

Met. Phot. S. 3. Dubitat Keslerus: ipsa qvæstio nominis est potius qvam rei. *Pr. 23.* Qvieqvid autem sit, illud exinde à Goslavio ineptè concluditur, qvod humana & divina natura in uno Christo esse negant, qvia *disparata* (ex *oppositionis ratione*) non possint eidem inesse. Ineptè, inqvam, cum partes totius Essentialis Physici *disparatae* sint, et nihilominus toti suo insint. Male enim canonem hunc: Contraria non possunt eidem inesse; I. ad *oppositionem* generaliter dictam applicat.

z. absq;



2. absqve debita limitatione ipto ponit, addendum enim erat: secundum eandem partem. Nam & opposita specialiter ita dicta possunt eidem inesse, licet non secundum eandem partem; & disparatis non simpliciter repugnat eidem etiam secundum eandem partem inesse, qvod color & dulcedo v.c. in pomo probant.

§. 16. Oppositio Specialius accepta dicitur, quâ unum uni repugnat, eodem repugnandi modo; ita ut cum eo in eâdem re singulari, secundum eandem partem, eodem tempore, locoq; eodem coexistere atq; uniri nequeat.

Differt autem hæc à Disparatione (observante B. Dn. D. Dannhawero Evergeta, post fata piè colendo) in eo potissimum, qvod oppositio dicit i. repugnantiam unius cum uno, 2. negat unius cum uno in eodem subjecto coexisten- tiam. Disparatio autem dicit i. repugnantiam unius cum pluribus; 2. eundem repugnantiae modum, sicut calor e modo repugnat virtuti, qvo colori, sono, &c:

§. 17. Dividitur Oppositio in Positivam & Negativam, quam divisionem, licet forsan adeo exacta non sit, hâc vice explicamus, qvia vulgata est, nobis vero integrum non est jam omnia ad vivum resicare.

Positiva est qvæ inter extrema positiva versatur: estq; vel respectiva, ut Relatio, qvæ

B 3 est

est interea, quæ sese mutuo respiciunt, ita
tamen, ut unum non sit alterum: quæ de-
scriptione & convenientia & oppositio rela-
torum indigitatur, quamvis hæc omnium
confessione levissima sit. Vel absoluta, ut
Contrarietas, quæ nonnunquam latè su-
mitur, ut omnem oppositionem complecta-
tur; nonnunquam strictè, ut tantum
qualitates contrarias denotet, hoc loco vero
omnem oppositionem denotat, quæ ad reliqua
triæ generare referri nequit, & est, quæ duo
extrema positiva sibi è regione absolutè oppo-
nuntur. Dividitur in mediatam & im-
mediatam, sive ut alii efferunt, in adæqua-
tam & inadæquatam. Sic album & ni-
grum non opponuntur adæquatè, sed media-
te, cum inter hæc duo mediet flavum, tan-
quam medium, ut vocant, per participa-
tionem. Negativa vel Privativa est,
quæ datur inter habitum & privationem
eorumque concreta. Per habitum intel-
ligen-

ligendo non præcisè illum qui qualitatem subdividit, sed in genere omnem rei formam vel quasi formam. Estq; adeò privatio absentia formæ à subjecto, cui inesse per naturam debebat. Ad hanc igitur requiritur 1. idem subjectum numero, capax, 2., certa ejus pars, & 3. determinatum à natu-,, rā tempus: sic visus & cæcitas opponuntur,, 1. in Tobia, 2. in oculis, & 3. in catulo post,, septimum aut nonum diam; annotante su- pralaudatō Dn. D. Dannb. p. m. Veldemi- Log. p. 39.
que contradictoria, quæ est inter ea, quæ pugnant inter esse & non esse simpliciter. Et hæc cum omni mediocare at, siue id sit per negationem, siue per participationem, omnium habetur fortissima. Sed hic finis esto. DEO
Unitrino pro concesfis viribus sit Laus
honor & gloria in secula
sempiterna.

F I N I S.

Corol.

Corollaria.

- I. An omnia quæ non sunt eadem, sint verè distincta? Neg.
- II. An omnia quæ definitione differunt, rea-liter distingvantur? Neg.
- III. An quævis prædicata contradictoria inferant distinctionem realem? Neg.
- IV. An separabilitas sit adæquatum distinctionis realis indicium? Neg.
- V. An Identitas Essentialis consistere possit cum distinctione reali? Aff.
- VI. An disparata possint eidem inesse? Aff.
- VII. An distinctio Modalis sub reali comprehendendi debeat? Aff.
- VIII. An omnia quæ modaliter distingvuntur, sint separabilia separatione non mutuâ? Neg.

Sect. præc. §. 12. l. 19. sic legat B. L. sive cum pugnâ speciali sit & specialior, sive absqve tali pugna.

55(0) 50
5

ULB Halle
003 792 439


3



05 A 2421

VDT7

Farbkarte #13



J. N. D. N. J. C.
DISSERTATIO METAPHYSICA
De
ISTINCTIONE,
Cujus
PARTEM POSTERIOREM,
Divinâ Annuente Gratia,
PRÆSES
JOHANN: HENRICUS Meel /
ARGENTORATENSIS,
ET RESPONDENS
HANNES CHRISTOPH: WAGNER,
Pulsnitio- Lufatus.
Placidæ disquisitioni submittent
Ad d. 4. Febr. ANNO 1680. h. 1q; c.
WITTENBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.